

## 1437 juni 19, Abdij Echternach, Wampach IX-824

Archief abdij Echternach Staatsarchief Luxemburg, 19-6-1437

Theoderich von Bethgenhusen, Landkomtur, und Nikolaus van Dussen, Komtur der Ballei Utrecht, bekunden, dass neulich Papst Eugen IV. durch papstliches Schrei ben dem Official von Lüttich aufgetragen habe, den Ort Gernerden aus dem Pfarrverband von Bakel und Deurne zu lösen und zur selbständigen Pfarrei zu erheben. Sie bekunden weiter, dass der Abt von Echternach seine Zustimmung zu dieser Lostrennung gegeben habe, dass Bakel und Deurne aber weiter dem Patronat von Echternach unterstehen sollen.

1437, Juni 19.

Originalurkunde auf dem Staatsarchiv zu Luxemburg (A). — Kopie in der HS. 29, 20, j. 23 und f. 66 (liber octavus), ebd. — Regest in der HS. 18, Abt. 15, S. 312, nr. 89, auf dem Historischen Institut daselbst.

Das erste Siegel ist abgefallen; das zweite direkt verblasst.

Uit: Wampach - Urkunden- und Quellenbuch, dl. IX akte 824

Met vertaling overgenomen uit Docu Data Deurne.

Universis et singulis presentes litteras visuris et audituris.

Theodericus de Bethgenhusen provincialis et Nycolaus van der Dussen, domus de Juncis Traiectensis commendatores, ceterique confratres ac conventus dicte domus hospitalis Neate Marie Theutonicorum Jerosolomitani salutem cum agnitione veritatis infrascriptorum. Vestre notum facimus universitati ac vestrum singulis, quod cum nuper sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Eugenius, divina providentia papa quartus, per suas Apostolicas litteras venerabili viro domino officiali Leodiensi ob certas rationabiles et legitimas causas ipsius animum ad hoc meventes in huiusmodi litteris expressas commiserit, quatenus idem officialis locumde Gernerden auctoritate Apostolica a rectoria parrochialium ecclesiarum villarum de bakel et Doern legitime unitarum separaret et segregaret in eodemque loco Gernerden ecclesiam edificandam et construendam seu edificari et construi faciendam, nobis facultatem et licentiam concederet, ecclesiam vero in dicto loco Gernerden construendam quam primum dictam rectoriam per cessum vel decessum aut alias quovis modo vacare coontigeret, illa tunc rectoria penitus suppressa in parrochiale cum fonte baptismali aliis quoque parrochialibus insigniis crearet et erigeret necnon collationem vicarie dictarum villarum Bakel et Doern salvis Apostolicis dispositionibus ad abbatem monasterii snacti Willibrordi Epternacensis Treverensis diocesis, ordinis sancti Benedicti, de cetero spectare debere eadem Apostolica auctoritate decerneret prout hec et alia in Apostolicis litteris desuper datis atque concessis plenius continetur et quarum totum tenorem presentibus haberi volumus pro insertis.

Quamvis insuper antefatus reverendus pater dominus abbas antefati monasterii ac decanus totusque conventus eisdem predicte erectioni ecclesie in Gernerden de novo edificande et construende in parrochialeque ecclesiam erigende ac separationi eiusdem a rectoria prefata necnon suppressioni dicte rectorie ac reservacioni collacionis vicarie huiusmodi ad opus eiusdem reverendi patris abbatis dicti monasterii fiende aliisque omnibus et singulis predictis ac in Apostolicis litteris contentis prout inibi narrantur et continentur nos consensum pariter et assensum gratiose prebuerint et concesserint.

Et ob hoc nos Theodericum commendatorem aliosque prescriptos requisierint ut de et super collatione ac dispositione huiusmodi vicarie per abbatem sepedicti monasterii pro tempore existentem salvis Apostolicis gratiis de cetero conferendis quantum in nobis est eosdem dominos abbatem et conventum certiorare vellemus.

Nos igitur Theodericus provincialis, Nicolaus ipsius domus Traiectensis commenadtores ceterique fratres antedicti considerantes attendentesque favorem quem ijdem reverendus pater dominus abbas ac conventus Epternacensis antedicti erga nos ac nostram baliā gesserunt et indesinenter gerunt, ea propter in nostro capitulari loco solito et consueto capitulo ad hoc specialiter indicto ex certa nostra scientia ac animo deliberato recognovimus et protestati sumus, cognoscimus et protestamur per presentes, nobis nostrisque successoribus in collacione seu quavis alia dispositione sepedicte vicarie villarum Bakel et Doern nullum jus quovis modo nobis com(m)uniter seu divisim competere, sed huiusmodi vicarie collacionem ac aliam dispositionem salvis apostolicis gracijs integre ac in solidum ad sepefatum reverendum patrem dominum abbatem Epternacensem pro tempore existentem spectare et pertinere.

Promittentes harum serie litterarum pro nobis nostrisque successoribus nullum futuri temporibus in collacione seu dispositione memorate vocarie abbati pro tempore existentyi impedimentum per nos seu alium nostro nomine directe vel indirecte ac quovis quesito colore prestandum esse seu prestari debere, in singulis premissis omnibus fraude et dolo seclusis penitus et semotis.

In cuius rei testimonium firmitatisque robur omnium et singulorum nos Theodericus provincialis, Nicolaus domus Traiectensis antedicte commendatores ceterique fratres ac totus conventus eiusdem nostra sigilla provicoalatus officii ac dicti conventus ex certa scientia presentibus fecimus et iussimus appendi.

Datum anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo, mesis Junii die decima nona.